105. Beata vita semper stabilis est, nec amitti potest; nam si amitti vita beata potest, beata esse non potest. *Prose.*

106. Non enim in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis esse vita beata dici solet; neque appellatur omnino beata, nisi confecta atque absoluta. *Lib. 2, de finibus.*

107. Omnis auctoritas Philosophiae consistit in beata vita comparanda. *Ibid.*, lib. 5.

108. Profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere. *De Paradoxis*, cap. 2.

109. Si boni et beati volumus esse, omnia adjuvamenta, et auxilia petamus bene beateque vivendi. *Lib. 4, Tuscul. quest.*

110. Illi beati sunt, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incl-

S. THOMAS
AQUINAS.

ARISTOTELIS.

CICERO.

tant, nullae fuitiles laetitia exultantes languidus liquefaciunt voluptatibus. *Ibid.*, lib. 5.

111. Quemadmodum si quod honestum sit, id solum sit bonum, sequatur beatam vitam virtute confici; sic si vita beata in virtute sit, nihil esse nisi virtute bonum. *Ibid.*

112. Qui beatus est, non intelligo quid requirat, ut sit beator; si est enim quod desit, ne beatus quidem est. *Ibid.*

113. Omne beatum est, cui nihil deest, et quod in suo genere expletam atque cumulatum est. *Ibid.*

114. Nisi stabili, fixo, et permanente bono, beatus esse nemo potest. *Ibid.*

115. An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere quo vita beata complectitur, si id possit amitti? *Prose.*

116. Nihil enim inveterescere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit; nam qui timebit, ne quod ex his deperdat, beatus esse non poterit. *Ibid.*

117. Vir temperans, constans, sine metu, sine aegritudine, sine libidine; nonne beatus est? *Ibid.*

118. Beata vita laudabilis est, nec quidquam sine virtute laudabile; beata igitur vita, virtute conficitur. *Ibid.*

SENECA.

119. Beatus nemo dici potest, extra veritatem projectus. *De Beata vita*, cap. 5.

120. Ille beatus, qui plenus est bona conscientia. *Ibid.*, cap. 19.

121. Miser est, qui se beatissimum non iudicat, licet imperet mundo. *Prose.*

122. Non est beatus, esse se qui non putat. *Ep. 9.*

123. Ut sis beatus te stultum videri sine. *Pros.*

124. Si vis beatus esse, sine contemnat te aliquis. *Ep. 71.*

125. Malitia miseros facit, virtus beatos. *Ep. 81.*

126. Turpe est, beatam vitam in auro et argento reponere. *Ep. 110.*

PLATO.

127. Diserte et definite nego fieri posse, ut nostrum quisquam felix beatusque existat, quandiu in hac mortali vita versamur. *Prose.*

128. Praeclara tamen spes est, futurum ut postquam ex hac vita discesserimus, ea omnia abunde consequamur, quorum gratia dum viveremus, vitam optime instituere summo studio cupiebamus, ut vita functi felicem huiusmodi finem adipisceremur. *Libr. 13, de Legibus.*

129. Nolens beatus nemo est, nec malus volens. *In Dialogo de Justo.*

STYTIUS
PHILOSOPHUS.

130. Beatus vir, cujus animam nemo reprehendit ad Deum euntem. *Sent. 35.*

131. Disce quod oportet sciri, ut beatus fias. *Ibid.*, sent. 334.

Vide etiam tit. *Patientia in genere*, sent. 71; *Penitentia*, sent. 216.

BELLUM

Definitio. Bellum est dissensio inter aequales seu inaequales, per quam arma juste vel injuste moventur.

COLLECTOR.

Divisio. Ad justum bellum tria specialiter requiruntur, videlicet, Principis auctoritas, justa causa et intentio recta. *In Speculo animae*, cap. 1.

Bellum triplex est:

S. JOANNES
CHRYSOST.

Unum ab hostibus.

Alterum a seductoribus.

Tertium a falsis fratribus. *Hom. 76, super Math.*

Trias sunt bellorum genera:

Unum commune, cum exercitus adversus inimicos pugnant.

Secundum, cum etiam pacis tempore oppugnantur.

Tertium, cum unusquisque adversus se bella concitat; hoc omnium acerbissimum bellum est, ubi periclitatur non corpus, sed anima. *Hom. 7, sup. 1, ad Timoth.*

Quatuor sunt genera bellorum, scilicet, justum, injustum, civile, et plusquam civile. *Pros.*

S. ISIDORUS
HISPALENS.

Justum bellum est, quod geritur de rebus repetitis, aut propulsandorum hostium causa; nam extra illud, bellum justum geri nullum potest.

Injustum bellum est, quod de furore, non de legitima ratione initur.

Civile bellum est inter cives orta seditio, et concitatio tumultus.

Plusquam civile bellum est, ubi non solum cives concitant, sed et cognati; ut frater cum fratre, gener contra Socrum, pater adversus filium dimicant. *Lib. 18, Etymolog.*, cap. 1, verbo *Quatuor*.

Comparatio. Sicut est quaedam vita sine dolore, sic est quaedam vita esse non potest; sic est pax quaedam sine bello, bellum vero esse sine aliqua pace non potest. *Lib. 19, de Civitate Dei*, cap. 13.

Quemadmodum certantibus ventis, mare concutitur; sic regibus adversantibus sibi, populus regni voxatur. *Hom. 2, Oper. imperf.*, super *Math.*

Sicut placidum more ex aspero, caelumque ex nubilo serenum hilari aspectu sentitur; sic bellum pace mutatum, plurimum affert gaudii. *Lib. 4, Victor. memorab.*, cap. 2.

VALER. MAX.

SENTENTIE PATRUM

- AMEROSIUS.** 1. Si in bello iustitia valet, quanto magis in pace servanda est? Lib. 1, *Offic.* cap. 29.
2. Liqueat etiam in bello fidem et iustitiam servari oportere; nec ullum decorum esse posse, si violetur fides. *Ibid.*
3. Nunquam David, nisi laecessitus, bellum intulit; nec unquam, nisi consulto Domino, ador-sus est. *Ibid.*, cap. 35.
- S. ANTONIN.** 4. Qui injustum bellum agunt, in omnibus quo auferunt ab eis contra quos praeliantur, rapiam faciant. Part. 2, tit. 1, cap. 12.
5. Turpius nihil est, quam cum illo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Part. 2, tit. 4, cap. 8.
6. Quicumque injustum bellum scienter et voluntaria committit, moraliter peccat, ultra alia peccata, quae ibi committuntur. *Prosec.*
7. Nam quidquid accipit ab alia parte, rapina est; si vulnerat, vel occidit, homicida est, et alia mala ei imputantur.
8. Bellum autem est justum, cum fit pro repetendis rebus ablati, aut ulciscendis iniuriis; quando scilicet ablate sunt res, vel iniurie factae ab aliqua civitate, vel populo, et emendare non vult; propter quod bellum sumitur, et iustum cum fit principis auctoritate.
9. Sed cum fit bellum ex ambitione et avaritia et odio, vel ad dilatandum dominum suum, ad augendas divitas, ad deprimentum et exterminandum alios ob odium et invidiam, et huiusmodi, est injustum. Part. 2, tit. 7, *de Fra.* cap. 7.
10. Quis posset enarrare mala, quae contingunt ex bellis? nonne rapinae fiunt continuae? et non solum ab inimicis, sed etiam ab amicis auferuntur. *Prosec.*
11. O quot mulieres vituperantur! adulteria, stupra, meretricia multa sequuntur; Confessiones, Communiones, et cultus divinitus negliguntur.
12. Milites sacrilegia perpetrunt, Ecclesias spoliant, sacra diripiunt, in Ecclesiis ludunt, et stibulantur.
13. Sacerdotes contemnunt, agricolas et mercatores praedantur, incendia ponunt in segetibus, in domibus, in Ecclesiis.
14. Agri et vineae inculte remanent, arbores fructiferae inciduntur, domus ad habendum ligna pro igne destruantur.
15. Greges et armenta capiuntur, viae inviae efficiuntur, sique artes et negotiationes pereunt.
16. Blasphemiae, detractioes, derisiones, productiones pro nihilo habentur.
17. Ludi quantumcumque prohibiti crescunt,

homicidia adduntur, et sic civitates et castra ad solitudinem rediguntur. *Ibid.*

18. Qui bellum suscipit, tria debet servare; primo ut virtuosus se habeat; secundo, ut ab illicitis absteineat; tertio ut bellum iustum suscipiat. Part. 3, tit. 4, cap. 1.

19. Quicumque injustum bellum movet, vel ita juvat, quod sine eo non fieret, ultra peccatum mortale quod commisit, tenetur de omnibus damnis datis his contra quos bellum movit. *Ibid.*, cap. 2.

20. Libidine vincendi et consuetudine bellandi homines redduntur feriores, animosiores, et pronoiores ad ulciscendum et opprimendum plusquam ordo divini, juris requirit. Part. 4, tit. 3, cap. 2.

21. Frequenter occulto Dei iudicio, sed non injusto, iustiores aut minus mali in bello succumbunt a peioribus superati. *Ibid.*

22. Vas istud in quo sumus inhabitantes, domus est plena bellis. Ep. 2, *ad Fratres.*

23. Nihil homo iustus praecipue cogitare debet, nisi ut iustum bellum suscipiat, cui bellae fas est, non enim omnibus fas est. Lib. 6, quaest., sup. *Josue*, quaest. 10.

24. Noli existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat; in his erit sanctus David, et plurimi illius temporis iusti. Ep. *ad Bonifac.*, in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quaest. 1. Can. *Noli*.

25. Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur? *Ibid.*

26. Pacem habere, voluntatis est, bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus a necessitate, et conservet in pace. *Prosec.*

27. Non enim pax quaeritur, ut bellum exerceatur; sed bellum geritur, ut pax acquiratur.

28. Esto bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis unitatem vincendo perducas. *Ibid.*, § *Pacem*.

29. Hostem pugnantem in bello necessitas deprimat, non voluntas. *Ibid.*, etc. § *Urgit*.

30. Sicut bellanti et resistenti violentia redditur, ita victoribus capto misericordia iam debetur. *Ibid.*, etc. § *Sicut*.

31. Cum iustum bellum quis susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vineat, nihil ad iustitiam interest. *Ibid.*

32. Iusta bella deliniri solent, quae ulciscuntur iniurias, si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est. *Ibid.*

S. ANTONIN
ARBUS.

S. AUGUSTIN

33. In bello duxor exercitus, vel ipse populus, non ipse tam auctor belli, quam minister iudicandus est. *Ibid.*

34. Bellum continuas pugnas non habet, sed aliquando crebras, aliquando raras, aliquando nullas; bellum est tamen quando portas hostibus clauduntur, et quodammodo armata defensione. *Ibid.*, quaest. 26.

35. Non optabile aliquid est bellum, sed pietas laudabilis est in bello. Lib. 7, quaest. sup. *Judic.*, quaest. 17.

36. Inferre bella finitimis, et inde in caetera procedere, ac populos sibi non molestas sola regni cupiditate contereere, et subdere, quid aliud quam grande atrocium nominandum est? Lib. 4, *de Civil. Dei*, cap. 6.

37. Belligerare et perdomitis gentibus dilatate regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas, *Pros.*

38. Felicitas major est vicium bonum habere concordem, quam vicium malum subjugare bellantem. *Ibid.*, cap. 1.

39. Qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt, ad gloriosam ergo pacem cupiunt pervenire. *Prosec.*

40. Nam quid est aliud victoria, nisi subjectio repugnantium? quod cum factum fuerit, pax erit; pacis igitur intentione geruntur et bella.

41. Omnis homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12.

42. Cum iustum geritur bellum, pro peccato contrario dimicatur; et omnis victoria cum etiam malis provenit, divino iudicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens. *Ibid.*, cap. 15.

43. Quid culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? *Prosec.*

44. Hoc reprehendisse, timidorum est, non religiosorum.

45. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus ac implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi; haec sunt quae in bellis jure culpantur. Lib. 22, *contra Faustum*, cap. 78.

46. Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit; exequendi autem iussa bellica ministerium, milites debeant paci salutique communi. *Ibid.*, cap. 78.

47. Bellum quod gerendum Deo auctore suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est, vel ad terrendam, vel ad obtinendam, vel ad subjugendam mortalium superbiam. *Ibid.*

48. In bello imperare, vel pugnare, vel vincere, vel occidi, quis hominum novit cui prosit, aut

obstet? cum hoc tamen consistet, et cui prodest, non nisi per divinum prodesse beneficium; et cui obest non nisi per divinum obesse iudicium. *Ibid.*, cap. 78.

49. Apud Belligeros viros, victus dicitur victor occisus. Epist. 190, *ad Bonifac.*

50. Initium summae difficultatis est bellum. *De Vera Relig.*, cap. 34.

51. Quanto erit acrior impetus belli, tanto major gloria non cedenti, tanto densior corona. Lib. 20, *de Civit. Dei*, cap. 13.

52. Nihil opus est armis, Deo bellum adjuvante. Orat. 15.

53. Bellum optimum agitur, cum spiritus carni adversatur. In suis *Proverb.*, verbo *Bellum*.

54. Bellator fortis, qui se poterit superare. *Ibid.*, etc., verbo *Bellator*.

55. Equus paratur ad bellum, sed a Domino victoria datur. *Ibid.*, verbo *Equus*.

56. Horrida bella gerit qui pacis fodera spernit. *Ibid.*, verbo *Horrida*.

57. Militis cuiuslibet fortitudo non agnosceatur, nisi in bello. *Ibid.*, verbo *Militis*.

58. Ex cordis affectu, non belli eventu pensatur vel periculum, vel victoria Christiani. Serm. Exhort., *ad Milites Templi*, cap. 1.

59. Si bona fuerit causa pugnantis, pugnae exitus malus esse non poterit. *Ibid.*

60. Si in voluntate alterum occidendi, te potius occidi contigerit in bello, moris homicida. *Prosec.*

61. Si vero voluntate superandi vel vindicandi, forte occidis hominem, vivis homicida. *Ibid.*

62. Quis finis fructusve secularis non dico militiae, sed malitiae, si et occisor lethaliter peccat, et occisus aeternaliter perit? *Ibid.*, cap. 2.

63. Quis o milites, hic tam stupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantis sumptibus ac laboribus militare, stipendiis vero nullis, nisi aut mortis aut criminis? *Ibid.*

64. Non aliud bella movet, litesque suscitatur, nisi irrationabilis iracundiae motus, aut inanis gloriae appetitus, aut terrena qualescumque possessionis cupiditas; talibus certe ex causis neque occumbere tutum est. *Ibid.*

65. Non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de ealo fortitudo est. *Ibid.*, cap. 4.

66. Bellum discordias suscitatur, Ecclesias vastat, sacra temeratur, exaltat iniquos, honos persequitur, perimit innocentes. Ep. 223, *ad Episcop. Suesionensem*.

67. Ad licitum usum militiae, oportet quod concurrat conveniens persona et causa. *Prosec.*

68. Persona scilicet indicentis bellum, persona agentis bellum, et persona patientis bellum.

S. BASILIUS
SELEUC.
V. BEDA.

S. BERNARD.

S. BONAVENT.

69. Persona agentis, quæ debet esse laicus et sæcularis, non Clericus vel Religiosus.

70. Persona patientis, quæ talis sit insolentia, ut per bellum sit compescenda.

71. Persona indicientis bellum, in qua requiritur quod habeat potestatem.

72. Causa autem conveniens est, cum est pro tutela Patriæ, vel pacis, vel fidei.

73. Quando hæc concurrunt, tunc licitum est militare; sed quando deficit aliquid horum, tunc est illicitum.

74. Sæpe enim bellum geritur non pro tutela Patriæ, vel pacis, vel fidei; sed propter gloriam hominum, vel vindictam, et tunc illicitum est militare. Sup. cap. 2. *Lucæ*, cap. 3, in illud: *Nihil amplius quam quod constitutum est, facialis*.

75. Prudentis militis, virique constantis et fortis officium est, non solum bellum non fugere, sed et optare bellando victoriam, ut possit coronam accipere. *Prosec.*

76. Non enim coronatur, nisi qui bellat et vincit: *Serm. 1, de S. Lucia*.

77. Princeps qui bellum fugit, scutum non arripit, arma non induit, sed vacat lascivius, non est bonus exhortator ad bellum. *Serm. 1, de S. Gregorio*.

78. O crudelitas humana! o corda dura tygridis lacte nutrita! unde vobis tanta crudelitas? *Prosec.*

79. Constat quod Deus crudelitatem prohibet, et misericordiam docet, et in hominibus crudelitas est tanta, ut mutuis vulneribus intra se crudelius, quam animalia bruta, pugnent. *Serm. 5, de Una Virgine*.

80. Apud veros Dei cultores, bella non crudelitate aut cupiditate geruntur. In *Speculo animæ*, cap. 1.

CASIODORUS.

81. In præliis concitatis, gloria vincens semper apparet: nam virtus probatur latere, quæ non fuerit explorata certamine. Sup. *Psalms*. xxvi, vers. 6: *Si exurgat adversum me prælitum*.

82. Ars bellandi, si non prælitur, cum fuerit necessaria, non habetur. *Prosec.*

83. Discat ergo miles in otio, quod perlicere possit in bello.

84. Animos subito ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos præmissa exercitatione disponunt.

85. Gestimunt vituli certamina, quæ implent ætate robusta; catuli in novellis venationibus induunt.

86. Sic animi hominum, nisi prius leviter fuerint imbuti, ad hoc quo tendis, idonei nequeunt reperire.

87. Primordia cuncta pavida sunt, et aliter ti-

miditas non tollitur, nisi cum rebus necessariis novitas abrogatur. *Lib. 1, epist. 39*.

88. Terribilis est hominibus belli conflictus, si non sit assiduus, et nisi usus præmuniarum, concertandi subito fiducia non habetur: nam quod in juventute non discitur, in matura ætate nescitur. *Lib. 3, ep. 3*.

89. Strenuum se præbet miles in bello, si ante pugnae labores belli studia prævisione meditatur. *Hom. 16, de Fest. Paschal.*

90. Miles expectans præmia, alacris est in bellum: nemo vero tam indiscreto Regi militaverit, qui non soleat bravia laborum exhibere, et frustra sit paratus mori. *Cateches. 18*.

91. Diabolus contra duos bellum movet, unum incilians ut injurias inferat, alium ut injuriis acceptis contumelias reddat. *Prosec.*

92. Quem dum in primo conflictu superare nequivit, interim ab aperto certamine cessans, post medicum redit, et illum eumdem acrius quam ante impugnat de impatientia et vindicta.

93. Bellum grave est contra diabolum, quia occultum, quia cum fortiore, quia hostis insidie non videntur.

94. Adversarius nec labore deficit, nec victus aliquando discedit, sed tanto acrior redit, quanto per gratiam Dei debellatus fortius fuit. Sup. *Ep. B. Jacobi*, cap. 4, art. 6, in illud: *Resistite diabolo*.

95. Bellum militum breve, sed Monachi pugna, quoad usque emigret ad Dominum, durat. *De Adhort. ad pietatem*.

96. Qui fugit in bello publico (si bellum justum est) infamis est. Apud Gratian. in *Decretis*.

97. Bella a fidelibus non cupiditate, sed charitate committenda sunt. *Genes.*, cap. 14.

98. Aliud est bella fortiter perpeti, aliud enerviter expugnari; in istis excitatur virtus, ne extolli debeat; in illis omnimodo extinguitur, ne subsistant. Sup. *Numer.*, cap. 8.

99. Plus valet unus Sanctus orando, quam innumeri peccatores præliando. *Ibid.*, cap. 31.

100. In bellis humanis numerosior exercitus præstat tutiora subsidia, sed non est ita in divinis. *Prosecut.*

101. Non enim clarum divinæ virtutis est opus, si humanis adminiculis fulciatur. Sup. *lib. Judic.*, cap. 7.

102. Non solum bellare, sed etiam vincere sine duce, vituperabile est. Sup. *Judith*, cap. 14.

103. Populus armatus sine Deo, inermis est. Sup. *Psalms*. lxxxviii.

104. Si primo das te Deo, tunc illo juvante et docente fortiter pugnabis. Sup. *Psalms*. cxxxiii. sup. illud: *Qui docet manus meas ad prælium*.

S. CYRILLUS
ALEX.S. CYRILLUS
HIEROSOL.DIONYSIUS
CARTHUS.

S. EPHREM.

GLOSS. DECR.

GLOSS. INT.

GLOSS. ORD.

GLOSS. INT.

GLOSS. ORD.

GLOSS. INT.

GLOSSA ORD.

105. In bello non habent homines quos vincant, sed quos capiant, jam fame consumptos. Sup. *Hierem.*, cap. 32.

106. Sancti Angeli diligunt homines justum bellum habentes, et eos adjuvant, et personam Principis specialiter conservant. Sup. 2. *Maachab.*, cap. 40.

107. In bellis Principum, tranquillitas dissipatur, tepescit pietas, districtio solvitur; qua soluta, infirmorum castitas violatur. Sup. 1. *ad Timoth.*, cap. 2.

108. Ille laudabiliter spicula emittit, qui prius hostem, quam feriat, conspiciat. *Lib. 6. Moral.*, cap. 18.

109. Nemo vires suas in pace cognoscit; si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. *Prosec.*

110. Improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. *Ibid.* lib. 23, cap. 18.

111. Incassum contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra urbis moenia civis insidians habeatur. *Ibid.* lib. 30, cap. 13.

112. Bella carnalia, spiritualium bellorum figuram gerunt. In *Decretis Gratiani*, causa 23, quest. 1. *Canon. Nisi*.

113. Qui contra vitia semper in acie est, habet etiam hoc tempore bellum; et fortasse gravius affligitur, cum non extraneorum ictibus, sed suorum moribus impugnatur. *Lib. 31. Moral.*, cap. 4.

114. Valida sunt, et omnino violenta bella carnis. *Lib. 6. in I. Regum*, cap. 1.

115. Est bellum laudabile, paci a Deo discedenti preferendum. In *Apologet. de sua Fuga*.

116. Plus pene bella civilia, quam hostilibus micro consumpsit. *Ep. 3. ad Heliodor.*

117. In bello ea exhortatio maxima est, eaque plurimum auctoritatis habet, quæ pugnatorem de viribus suis admonet. *Ep. 1. ad Demetriadem*.

118. Amatori præliorum ornamenta sunt vulnera. *Epist. 6. ad Amicum*.

119. Miles in bello aut impetit, aut impetitur; qui igitur fortiorem se impetit, indiget adjutore; qui autem impetitur, indiget protectore. Sup. *Psalms*. cxiii.

120. Nihil adeo timet hostis, quam ordinationem pugnantium contra se. Sup. *Proverb.*, cap. 24.

121. Quia spiritualia bella non senserunt nec victorias habuerunt, nec possunt loqui victorias, nisi sicut cæci, qui sylogizant de coloribus. *Ibid.*, cap. 21.

122. Nihil in bellum proficiscens, non cogitat tantum vulnera, et cædes, et hostium insidias, et alias ærumnas, sed et victorias, et triumphos sibi

S. JOANNES
CHRYSOST.

ipsi præsagens, omni armatura (bona spe proposta) se munit. *Hom. 25. sup. Genes.*

123. Qui ad bellum transmittitur, ad gloriam paratur. *Hom. 31. Oper. imperf. sup. Math.*

124. Inter bellatores nascitur de virtute contentio. *Ibid.*, *Hom. 43*.

125. Non adeo externa, quantum intestina, atque civilia prosternunt bella. *Hom. 42. sup. Math.* in illud 12: *Omne regnum in se divisum, etc.*

126. Necesse est ex bello victoria coronari, cædeque redeuntem cruentari, sepe etiam vulnera referre. *Hom. 43. Oper. imperf. sup. Math.*

127. Quenam utilitas, si peccato orbe, magna que quiete ubique terrarum obtinente, tu adversus temetipsum excitare bella non desinas? *Hom. 7. sup. I. Timoth.*

128. Dulce bellum est inexpertis. *Hom. 3. in Acta Apost.*

129. Cum armatura bellica muniuntur, custodie ponuntur, vigiliis nocturnæ servantur, rogi que accensi undique ceruntur: certe apertum hoc cognoscitur, non pacis sed belli indicium esse. *Serm. 8. sup. Ep. ad Rom. in Moral.*

130. Nulla sunt arma tam valida diabolo, quam pugna, quam inimicitia, quam bellum. *Hom. 2. sup. II. ad Cor. in Moral.*

131. Etsi bellum non sit, maxime tamen oportet quæ belli sunt curare, ac meditari. *Prosec.*

132. Qui enim in pace ea curat, quæ pugnae sunt, terribilis erit ipso tempore pugnae. *Hom. 3. sup. I. ad Thessal.*

133. Impii desiderant bellum, ut corvus cadaver. *Serm. 1. de Spiritu sancto*.

134. Frustra foris agit bellum, qui intus habet periculum. *Lib. 2. de Sum. bono*, cap. 42.

135. Si hostes in bello vincere cupis, Dei metu exercitum ducito. *Prosec.*

136. Iustitia enim hoc offert, ut quis strenne ac feliciter pugnet, contra autem injustitia hostium est auxilium. *Lib. 1. Ep. 264. ad Geronium*.

137. Bellica arripuisse arma, et ad prælium recusare accedere propter metum, valde ridiculosum est. *Part. 1. de Discipl. Monastica conversat.*, cap. 4.

138. Si nulla urget necessitas, omni tempore est a præliis abstinendum. *Ep. ad Consulta Bulgarorum*. Et habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quest. 8. *Canon: Si nulla*.

139. Bellorum eventus non est in numero, vel audacia robustorum, sed in ejus beneplacito, qui pro sua voluntatis arbitrio universa disponit. *Tract. de Hierosolymitana peregrinat.*

140. Inhonestum est, bellum cum eo gerere,

JOAN. GERS.

S. ISIDORUS
HISPALENS.

S. ISID. PELUS.

S. LAUR. JUST.

NICOLAUS
PAP.

PET. BLES.

quem tuæ familiaritatis secretarium habuisti. *Ibid. de Amicit.*, cap. 23.

141. Qui sine tuba dimicat, miles non est; fer- tur furore, non praelio, virtute non agit, sed pe- riculo: querit perire, non vincere. *Prosec.*

142. Prælorum peritis militaris tuba personat disciplinam; imperitis, tantum dat clangorem.

143. Ut magistra bellorum dat suis vires, hos- tibus dat pavorem. *Serm.* 44.

144. Bellicosus quod in bello fugit, artis est, non timoris. *Ibid.* *serm.* 150.

145. Præsens vita, dies est belli, quia vel foras, vel intus nunquam deest adversitas, cui debeat repugnari. *Sup. Psalm.* cxxxix, vers. 8.

146. Nulla eam civitatem bella perturbant, quæ pæcis est septa limitibus, nec aliquid patitur in- quietum, in qua nihil est a Dei voluntate diver- sum. *Ibid.* *sup. Psalm.* cxlvii, vers. 3.

147. Compulsus criminibus nostris Deus, ut hostiles plagas de loco in locum spargeret. *Prosec.*

148. Et cum ardeant, ut ita dicam, membra hominum peccatorum, curata non sunt vitia pec- cantium. *Lib. 7, de Gubern. Dei.*

149. Miramur si ab hoste viribus vincimur; non illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci; nemo sibi aliud persuadet, nemo aliud arbitretur, sola nos mo- rum nostrorum vitia vicerunt. *Ibid.*

150. Non dat tot pugna socios, quot solet mensa convivas. *Lib. 3, Ep. 3, ad Ecdicium.*

151. Totam causam belli finivit, qui auctorem pugnae superavit. *Hom.* 20, de *Avaritia.*

SENTENTIA PAGANORUM.

152. In pace bellum queritis, in bello pacem desideras. *Lib. 4, de Arte Rhetorica, ad Heren- tium.*

153. Incertus exitus, et anceps fortuna belli qui vero victor pæcis auctores diligit, is profecto declarat se maluisse non dimicare, quam vincere. *Orat. 40, pro Marcello.*

154. Sine imperio res militaris administrari, teneri exercitus, bellumque geri non potest. *Orat. 47, Philipp. 3.*

155. Nihil hoc civis terribius (si civis habendus est) qui civile bellum concupiscit. *Orat. 55, Philipp. 13.*

156. Omnia sunt misera in bellis civilibus, sed miserius nihil est ipsa victoria. *Lib. 4, Ep. 9, ad Marcellum.*

157. Extremum malorum omnium est, civilis belli victoria. *Lib. 9, Ep. 6, ad Varronem.*

158. Multi sæpe bella quasiunt propter glo- ria cupiditatem, atque id in magnis animis in- genisque plerumque contingit. *Lib. 1, de Offic.*

159. Bellum ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quæstia videatur. *Ibid.*

160. Nihil est turpius, quam cum eo bellum gerere, quo cum familiariter vixeris. *De Amicitia.*

161. Minus turpe est a bello inermem reverti, quam armatum fugere. *Suasoria 2.*

162. Optima civilis belli defensio, oblivio est. *Lib. 5, controvers.* 32.

163. Nullum laborem reusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. *Epist.* 51.

164. Pacem cum hominibus habes, cum vi- tiis bellum. *De Moribus.*

165. Si in bello egregium est, hostem dejicere, non minus laudabile, infelicis scire misereri. *Lib. 5, dict. Memor.*, cap. 1.

166. Diu apparandum est bellum, ut vincas ce- lerius. *In Proverb.*

BENEFICIUM IN GENERE.

Etymologia. Beneficium dicitur quasi bonum officium.

Definitio et Descriptio. Beneficium est recte factum, quod irritum nulla vis efficit. *Lib. 4, de Benef.*, cap. 5.

Beneficium est ipsa tribuendi voluntas. *Ibid.*

Beneficium est quod totum ejus causa presta- tur in quem confertur. *Prosec.*

Ubi aliquis ex eo, aut sperat quid, aut prepa- rat, non est beneficium, sed consilium. *Lib. 4, Controvers.* 24.

Quid est beneficium? benevolo actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id quod facit prona, et sponte sua parata. *Lib. 1, de Benefic.*, cap. 6.

Beneficium est opera utilis, sed non omnis ope- ra utilis, beneficium est; quædam enim tam exi- gua sunt, ut beneficii nomen non occupent. *Ibid.* *lib. 4, cap. 28.*

Beneficium referre, est ultro quod debeas affer- re; vel referre, est ad eum a quo accepit ferre. *Ep.* 81.

Quid est dare beneficium? Deum imitari. *De Moribus.*

SENTENTIA PATRUM.

1. Non satis est bene velle, sed etiam beneface- re; nec satis est benefacere, nisi id ex bona vo- luntate proficiatur. *Lib. 1, Offic.*, cap. 30.

2. In beneficio reddendo plus animus quam census operatur. *Ibid.*, cap. 32.

3. Enitendum est, ut beneficiis obligemus plu- rimos, et collatam reservemus gratiam, ne jure beneficii fiant immemores, qui se graviter læsos dolent. *Ibid.*, *lib. 2, cap. 24.*

SENECA.

VALER. MAX.

SENECA.

COLLECTOR.

SENECA.

S. BASILIUS MAGNUS.

V. BEDA.

S. BERNARD.

S. AMBROS.

4. Collatio beneficii facta in pauperes, magis quam in locupletes juvat. *Prosec.*

5. Quia divites designatur beneficium, et pudet cum delictorem esse grati; pauper vero, etsi non habet unde reddat pecuniam, refert gra- tiam.

6. In quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit; pecunia enim nummo solvitur, gratia nunquam exinanitur.

7. Reddendo vacatur pecunia, gratia autem et habendo solvitur, et solvendo retinetur.

8. Quanto igitur apud gratos, quam apud in- gratos melius est locare beneficium? *Ibid.* *lib. 2, cap. 35.*

9. Beneficium tale esse debet, ut omnibus pro- sit. *De Similitud.* cap. 110.

10. Quanto quis se reputat indigniorem, tanto magis gratus est beneficiis; et quanto gratior, tanto magis laudabilior. *De Mensuratione Christi crucis.*

11. Quanto quis recipit majora beneficia, tanto faciens mala magis ingratus est. *Part. 2, tit. 3, cap. 9.*

12. Ubi gratior amor est, ibi non æstuat indig- nitas siccitate, sed ubertate beneficentiæ pro- fluit. *De Catechizand. rudibus*, cap. 4.

13. Virtus beneficii ei, qui sibi malum machi- natur. *De Amicit.* cap. 16.

14. Tanto sunt intercedentium et parentium beneficia gratiora, quanto peccantium justiora supplicia. *Epist. 54, ad Macedonium.*

15. Beneficiorum gratiæ, ad donantes rever- tuntur. *Lib. 3, Parallel.*, cap. 107.

16. Beneficium qui dare nescit, injuste petit. In suis *Proverb.* verbo *Beneficium.*

17. Bonum si facere nequeas, non tamen cul- pes, vel prohibeas. *Ibid.* verbo *Donum.*

18. Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. *Ibid.* verbo *Inopi.*

19. Oportet beneficium, ut vere sit, esse gra- titutum; danti itaque rependi quidquam gratus ab accipiente non potest, quam si gratum habue- rit, quod gratus accepit. *Ep.* 174, ad *Canonicos Lugdunenses.*

20. Minus libenter beneficium datur, quod mi- nus grate, minusque necessarie provenire sentitur. *Serm.* 46, *sup. Cant.*

21. Facta factis compensari oportet, si non re- bus et viribus, saltem voluntate. *Prosec.*

22. Equabo ergo beneficia votis, que factis non possunt; desideris dives sum, affectibus abundo; et certe vorus beneficium amplius non re- quirat. *Ep.* 484, ad *Heymericum Cancellar.*

23. Accipiendis indignus est, qui fuerit de ac- ceptis ingratus. *Serm.* 4, *sup. Qui habitat.*

24. Numquid non perit, quod donatur ingrato? *Serm.* 54, *sup. Cant.*

25. Si benefacere beneficentibus, solum est de- bitum; et benefacere non beneficentibus grati- tum, videtur quod male facere beneficentibus sit impium, et crudelissimum. *In caput 2, Lucæ, cap. 6, sup. illud: Si benefeceritis his, etc.*

26. Esto gratus in beneficiis. *In Alphab. Reli- gios.*, lect. 48.

27. Beneficiis ingratus exhibitis, ineptus effi- citur exhibendis. *In speculo discipul.* part. 1, cap. 2.

28. Benefacere merenti, justum est; benefacere nihil merenti, sed tamen humiliter petenti pium est. *Pros.*

29. Benefacere nec promerenti, nec desideran- ti, magis pium est; benefacere autem contem- nenti, et adversanti, piissimum est, et non nisi divini cordis est. *Lib. 2, de Prof. Relig.* cap. 63.

30. Benefacere proximo, hoc charitatis est, et amoris. *Doctrina 18, resp. 3.*

31. Bonum dando non consumitur, sed dilata- tur; et magis dum transferitur acquiritur, ac miro modo et transmittitur et reficitur. *Hom.* 4, *de Epiph.*

32. Benefacere jucundum est placitum Deo est; ulcisci vero Deo ingratum est. *Sup. Genes.* cap. 19.

33. Fit sæpe ut inimicus crebris victus benefi- ciis, odii ponat rigorem, et calorem charitatis menti apponat. *Sup. Proverb.* cap. 25, in illud: *Prunas congregabis super caput ejus.*

34. Amare amantem, natura est; non aman- tem vero cogi beneficiis ad amorem, perfectionis est. *Sup. Matth.* cap. 7.

35. Beneficius acceptis beneficiis debet se gra- tum ostendere, et benefactorem laudare, quam- vis hoc benefactor non querat. *Sup. Marc.* cap. 7.

36. Sicut accepta contumelia bonus fit melior, ita malus de beneficia pejor. *Sup. Joan.* cap. 8.

37. Non est fraternus amor, nisi mutuis se præveniant obsequiis. *Sup. Ep. ad Rom.* cap. 12.

38. Vis ulcisci de horte? beneficium illi exhi- be tum acerriori cum supplicio affecti. *Ibid.* cap. 12, *sup. illud: Carbones ignis congeres.*

39. Fias infortunato Deus, nihil enim adeo di- vium habet homo, quam benefacere; quamvis ille plus, hio vero minus benefacit. *Orat. 18, de Paupertate.*

40. Longe honorabilis est beneficium dare, quam accipere. *Ibid.*

41. Beneficentia cum lætitia, et non cum mos- titia est adornanda. *Ibid.*

42. Beneficium si impendatur occulte, humanæ laudis favorem extinguit. *Lib. 1, de Claustro ani- mæ*, cap. 13.

43. Non solum benefac, sed etiam cito; quia

BONAVENT.

S. BOETH.

S. EUSEBIUS EMISSEN.

GLOSSA ORD.

GLOSS. INT.

GLOSS. ORD.

S. GREG. NAZ.

HUGO A S. VICTORE.

HUGO CARD.

qui cito dat, his dat; dare nescit; qui dare tardat. *Sup. Proverb.* cap. 3, in illud: *Cum statim possis dare.*

44. Beneficia vera ex fornace amoris procedunt. *Ibid.* cap. 25.

S. JOANNES
CERYSTOS:

45. Tam officiosi in eos simus, qui nos offendere, quam simus in eos, qui vere nobis beneficiunt. *Hom.* 27, in *Gen.*

46. Cordatos beneficia magis, quam pœnæ alicuiunt. *Ibid.* *Hom.* 28.

47. Occasiones ille dandi exquirat, qui beneficia tribuere consuevit. *Serm. de Moyse.*

48. Beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. *Hom.* 2, *de lapsu primi hominis.*

49. Tam fas est propria commemorare beneficia, cum insignis hinc speratur utilitas. *Prose.*

50. Quoties nulla data occasione jactat quis ac deprecatur sua in alium beneficia, nihilo potius est exprobrante.

51. Qui beneficia sua commemorat, ut correpto persuadeat, et malam de ipso opinionem habentem flectat in diversum, is curator est et beneficentis. *Hom.* 3, *de David et Saule.*

52. Optima beneficiorum custos, est memoria ipsa beneficiorum, et perpetua gratiarum actio. *Hom.* 26, *sup. Math.*

53. Vitium potissimum, quod ex arrogantia gigni solet, est cum aliquis dignum se esse beneficis existimat. *Ibid.*

54. Quo majora quis beneficia consecutus est, eo majori subjacet culpa, si nullo beneficiorum acervo victus, in ingratitude pertinaciter perseverat. *Ibid.* *Hom.* 53.

55. Omni inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. *Hom.* 13, *Oper. imperf. sup. Math.*

56. Officiorum assiduitate, inimici conciliandi sunt. *Hom.* 58, in *Genes.*

57. Inimico benefacere, hæc dignitas est discipulorum Christi. *Hom.* 14, *sup. Acta Apostol.*

58. Talis est hominum natura, ut statim beneficiorum obliviscatur. *Ibid.* *Hom.* 41, in *Morali.*

59. Beneficium eorum, quibus beneficium est, ingratitude subvertit. *Ser.* 6, *sup. Ep. ad Rom.*

60. Non qui ministrat bonis, sed qui bona exhibet, is beneficentis est. *Sup.* 1, *ad Cor.*

61. Affectus es male? vicissim beneficentis. *Ser.* 16, *sup. Ep. ad Ephes.*

62. Si vis vilesce, isto modo ulciscere: malefacis bona repende. ut et ipsum malefactorem debitorem tum constituas, et victoriam feras admirabilem. *Ibid.*

63. Major utilitas accedit beneficentis, quam beneficium accipientis. *Serm.* 9, *sup. Ep. ad Phil.*

64. Beneficium petere, et vicissim accipere, apud verum amicum sine suspitione licet. *Hom.* 2, *sup. 2, ad Thessal.*

65. Qui amat, beneficium magis impendere, quam accipere cupit; non ita gaudet sibi benefici, sicut aliis benefacere. *Ibid.*

66. Maledixit te quispiam; tu illum beneficiis refove, et magnum quid fecisti. *Hom.* 3, *sup. 4, ad Timoth.*

67. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri. *Hom.* 13, *ad Popul Antioch.*

68. Omnis beneficentis major est, quam beneficium ejus. *Hom.* 3, *Oper. imperf.*

69. Qui beneficium accipere vult, beneficio dando proximi in se benignitatem congerat. *Ep. ad Zenam.*

70. Qui obsequium præstare nescit, injuste petit, imo etiam in odium cadit. *De contempl. amoris divini*, cap. 2.

71. Beneficentia nulla est, ubicunque necessitas non est. *Lib.* 5, *de Vero cultu*, cap. 11.

72. Perit quicquid gratiæ causa tribuitur non indigentibus, aut cum fœnore redit. *Ibid.*

73. Nihil a viro justo faciendum est, nisi quod sit beneficium. *Ibid.*, cap. 12.

74. Ibi justitia est, ubi ad bene faciendum necessitatis vinculum nullum est. *Ibid.*

75. Beneficium si referatur, interit atque finitur. *Ibid.*

76. Iis maxime laudis est benefacere, quos nemo speravit esse facturos. *Prose.*

77. Qui bonum facit, vel consanguineo, vel amico, nullam, vel certe non magnam laudem meretur, quia facere debet; qui autem facit alieno et ignoto, is vere dignus est laude; quoniam ut faceret, sola ductus est humanitate. *Lib.* 6, *de Vero cultu*, cap. 12.

78. Quid ab aliis præstari nobis volumus, optime novimus: quid autem ipsi aliis debeamus præstare, nescimus. *Lib.* 3, *de Gubern. Dei.*

79. Invidi quando beneficiis afficiuntur, tunc insanunt. *Sup. Math.* c. 13, in illud: *Capere autem consilium.*

80. Qui accepta beneficia non recte dispensat, benefactorem procul dubio afficit contumelia. *Sup. Ep. ad Hebr.*, cap. 10.

81. Non est dignus beneficium consequi, qui de acceptis beneficiis gratias non egit. *Sup. Ep. ad Rom.*, cap. primo.

82. Quatuor sunt hominum genera facilius beneficia obliviscuntia; scilicet, puer cum adoleverit, humilis cum sublimatus fuerit, superbus superbia innotatus, et in carceratus a carcere liberatus. *Opuscul. de divers. homin.*

83. Quatuor sunt genera hominum, quibus in-

vitis confertur beneficium: debitor, cum ultimo liberatur debito; puer, cum verberatur pro delicto; lethargus, cum excitatur a somno; phreneticus, cum curatur a morbo. *Ibid.*

S. VALERIAN.

84. Cosumunt auctorem suum beneficia, quæ considerunt extorta. *Hom.* 3, *de Areta vita.*

85. Infinita virtus est, odium vicisse beneficiis. *Prose.*

86. Nam ille inter ceteros palmas perfectæ virtutis obtinet, quid ad vicem veneni, pocula dulci melle componit. *Ibid.* *Hom.* 12.

S. ZENO.

87. Si quis aggregatur inimicum beneficiis vincere, continuo ferocitatis imitatur; in invidium autem si beneficia conferantur, multo amplius inflammatur; et quanto plura fuerit consecutus, tanto majoribus incendiis conflagratur. *Prose.*

88. Quam feram beluam, quos venenatos serpentes, mores isti non superant?

89. Canes beneficii memores videas; leones, ceteroque feræ imitescunt, et vincuntur ad gratiam; soli invidi beneficiis gravius inflammantur. *Serm. de Livore.*

SENTENTIE PAGANORUM.

90. Non hominis est beneficii, facile beneficium accipere, sed dare. *Lib.* 4, *de Moribus*, cap. 1.

91. Ei, qui beneficium dederit, referendum beneficium est; et rursus is, qui accipit, alterum beneficio provocare debet. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

92. Magna pars hominum beneficii immemor est; multique beneficium accipere, quam dare. *Ibid.*, lib. 6, cap. 7.

93. Benefactores plus amant beneficiatos, quam amantur ab eis, 9. *Ethicor.*

94. Justum est facere gratiam ei, qui gratiam facit. 2. *Rhetor.*

95. Magis tenemur amicis largiri bona, quam extraneis. 9. *Ethic.*

96. Beneficium accipere, sine labore esse constat; beneficium autem conferre, difficile. *Lib.* 9. *Ethic.*, seu *Moral.*, cap. 7.

97. Virtutis eximia est, cunctis benefacere. *Lib.* 1. *Rhetor.*, cap. 9.

CICERO.

98. Illiberalis est officium, serere beneficium, ut metere possis fructum. *Orat. Antequam iret in exilium.*

99. Nihil tam inhumanum, tam immane, tam ferum quam committere, ut beneficium dicam indignum, sed victus esse videre. *Orat.* 31, *pro Plancio.*

100. Quid est melius aut quid præstantius beneficentia? *Lib.* 1, *de Natura Deorum.*

101. Si in eos quos speramus nobis profuturos, non dubitamus beneficia conferre; quales in eos

esse debemus, qui jam profuerunt? *Lib.* 1. *de Offic.*

102. Benefacta male collocata, malefactorum arbitror. *Ibid.*, lib. 2.

103. Sublata beneficentia, liberalitas funditus tollitur, bonitas, et justitia. *Ibid.*, lib. 3.

104. Odiosum sane genus hominum beneficia exprobrantium, quæ meminisse debet is potius in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. *De Amicitia.*

105. Amicos beneficiis fove, quo fiant amiciores; inimicos benefac, quo fiant amici. *In Sentent.*

CLEOBUS
LINOUS.

106. Gratificandum est potius pauperi, quam diviti; seni, quam juveni. *In dialogo Phædri.*

PLATO.

107. Irascitur aliquis; tu contra, beneficiis provoca. *Lib.* 2, *de Ira*, cap. 34.

SENECA.

108. Ubique homo est, ibi beneficium locus est. *de Beata vita*, cap. 24.

109. Beneficia sine ullo delectu magis projiciamus, quam damus. *Prose.*

110. Nec facile dixerim, utrum turpius sit inficiari, an rependere beneficium. *Lib.* 1, *de Benefic.*, cap. 1.

111. Multos experimur ingratos, plures facimus. *Prose.*

112. Quia alias graves exprobratores, exactoresque sumus.

113. Alias leves, et quod paulo post muneris sui peniteat.

114. Alias querulis, et minima momenta calumniantes.

115. Ita gratiam omnem corrumpimus, non tantum postquam dedimus beneficia, sed dum damus. *Ibid.*

116. Eodem modo beneficium debetur, quo datur, et ideo non est negligenter dandum; sibi enim quisque debet, quod a negligente accipit. *Prose.*

117. Nec tarde quidem, quia cum in omni officio magni astimetur dantis voluntas; qui tarde fecit, diu nohuit. *Ibid.*

118. Non est quod tardiores faciat ad bene merendum turba ingratorum. *Ibid.*

119. Demus beneficia, non feneremus; dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret. *Ibid.*

120. Magnanimi et boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa, et post malos quoque bonum querere. *Ibid.*

121. Tunc virtus est dare beneficia, non utique reditura, quorum a viro egregio statim fructus perceptus est. *Ibid.*

122. Malim non recipere beneficia, quam non dare; qui non dat, vitium ingrati antequam. *Ibid.*

123. Qui beneficium non reddit, non magis peccat, quam qui non dat situs. *Ibid.*
124. Beneficia in vulgus cum largiri institueris, perdenda sunt multa, ut semel ponas bene. *Ibid.*
125. Nullum beneficium perit, tantum erogatu; si reddatur aliquid, lucrum est; si non reddatur, damnum non est. *Ibid.*, cap. 2.
126. Nunquam vir bonus de beneficiis factis cogitat, nisi admonitus a reddente; alioquin in formam crediti transeunt. *Ibid.*
127. Turpis feneratio est, beneficium expensum referre. *Ibid.*
128. Qui ingratus est adversus unum beneficium, adversus alterum non erit. *Prosec.*
129. Duorum oblitus es? tertium etiam eorum que excederunt memoriam reducet.
130. Is beneficium perdidit, qui cito se perdidisse credit.
131. At qui instat, et onerat priora sequentibus, etiam ex duro, et immemori pectore gratiam extendit. *Ibid.*, cap. 3.
132. Beneficis tuis inimicum cinge. *Ibid.*
133. Non potest beneficium manu tangi, animo cernitur. *Ibid.*, cap. 5.
134. Multum interest inter materiam beneficii, et beneficium; itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, que a proximis accipiuntur beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. *Ibid.*
135. Beneficium etiam amisso eo quod datum est, durat. *Ibid.*
136. Omnia que falsum beneficii nomen usurpant, ministeria sunt, per que se voluntas amica explicat. *Ibid.*
137. Non est beneficium id, quod sub oculis venit, sed tantum beneficii vestigium et nota. *Ibid.*
138. Beneficium non in eo quod fit, aut datur, consistit; sed in ipso dantis aut facientis animo. *Ibid.*, cap. 9.
139. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægre dimittere visus est, et sic dare tanquam si sibi præripere. *Ibid.* lib. 2, cap. 1.
140. Cum in beneficio jucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem se tribuisse, ipsa cunctatione testatus est, non dedit. *Ibid.*
141. Gratissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundiam. *Ibid.*
142. Sero beneficium dedit, qui roganti dedit. *Proseus.*
143. Illud beneficium jucundum, victurumque in animo scias, quod obviam venit. *Ibid.*, cap. 2.
144. Quamvis leve et vulgare beneficium sit, si præsto fuerit, multum sibi adjicit, gratiamque pretio. *Ibid.*
145. Qui beneficium parate fecit, non est dubium quin libenter faciat. *Ibid.*
146. Non videri benefecisse delectat, sed benefacere. *Ibid.*, cap. 10.
147. Hæc beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam. *Ibid.*
148. Qui dedit beneficium, taceat; narret, qui accipit. *Ibid.*, cap. 11.
149. Nisi beneficia adjuveris, perdes; parum est dedisse, fovenda sunt. *Ibid.*
150. Si gratos vis habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, sed et ames. *Ibid.*
151. Nihil æque in beneficio dando vitandum est, quam superbia. *Prosec.*
152. Non tantum ingratum, sed inivisum est beneficium superbe datum. *Ibid.*
153. Sunt quedam nocturna impetrantibus, que non dare, sed negare, beneficium est. *Ibid.*, cap. 14.
154. Beneficium demus, quod usu magis, ac magis placeat, quod nunquam in malum vertat. *Ibid.*
155. Quidam non tantum dant beneficium superbe, sed etiam accipiunt. *Ibid.*, cap. 18.
156. Jucundissimum est ab eo accepisse beneficium, quem amare etiam post injuriam possis. *Ibid.*
157. Non videtur dedisse beneficium, qui malo animo profuit, casus enim, non beneficium est, hominis injuria. *Ibid.*, cap. 19.
158. Qui grate beneficium accepit, primam ejus pensionem solvit. *Ibid.*, cap. 22.
159. Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit. *Ibid.*, c. 28.
160. Nullum tam angustum, quod non bonus interpretes extendat.
161. Qui libenter beneficium accepit, reddidit. *Ibid.*, cap. 30.
162. Qui beneficium dat, vult excipi grate; habet quod voluit, si bene acceptum est. *Ibid.*, cap. 31.
163. Gratum hominem, semper beneficium delectat; ingratum, semel. *Ibid.*, lib. 3, cap. 17.
164. Non est beneficium, quod in quæstum mittitur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 14.
165. Qui beneficium ut reciperet dedit, non dedit.
166. Optimi viri et ingentis animi est, tandiu ferre ingratum, donec fecerit gratum. L. 3, c. 1.
167. Quo quis plura beneficia dedit, beneficentior est. *Ibid.*, cap. 9.

168. Beneficium dare, socialis res est, aliquem conciliat, aliquem obligat. *Ibid.*, cap. 11.
169. Nullum beneficium est, cujus commodum non et proximos tangat, nonnunquam etiam longius positos. *Ibid.*, cap. 19.
170. Non est beneficium, nisi quod a bona voluntate proficiscitur; nisi illud agnoscat, qui dedit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 9.
171. Pœnitet accepti beneficii, quem nondum redditus piget. *Ibid.*, cap. 42.
172. Quisquis de accipiendi cogitat, oblitus accepti est. Ep. 73.
173. Beneficium vis injurie extinguatur. Ep. 81.
174. Ingratus est, qui beneficium reddit sine usura. *Ibid.*
175. Quid eo miserius, cui beneficia excidunt, hærent injuria? *Pros.*
176. At contra sapientia exornat omne beneficium, ac sibiipsum commendat, et se assidua ejus commemoratione delectat.
177. Malis una voluptas est, et hæc brevis, dum accipiunt beneficia, ex quibus sapientia longum gaudium manet, ac perenne.
178. Non enim illum accipere, sed accepisse delectat. Ep. 81.
179. Periculosissima res est, beneficia in ingratum magna conferre. *Prosec.*
180. Nam quia putat turpe, non reddere; non vult esse, cui reddat. *Ibid.*
181. Nihil carius æstimamus, quam beneficium, quando petimus; nihil vilius, cum accepimus. *Ibid.*
182. Cupiditas accipiendorem, oblivionem acceptorum facit; cogitamus, non quid impetratum, sed quid impetrandum sit. *Ibid.*
183. Beneficium accepti nunquam oportet oblivisci, dati protinus. *De Moribus.*
184. Vires tuas amici magis sentiant beneficiis quam injuriis. *Ibid.*
185. Hostia soli Deo acceptabilis, benefacere hominibus pro Deo. Sent. 41.
186. Opta ut bene possis facere inimicis. *Ibid.* Sent. 204.
187. Que gratis accipis a Deo, presta gratis. Sent. 233.
188. Stude communiter omnibus benefacere. *Ibid.* Sent. 234.
189. Ne te impediatur a benefaciendo homo ingratus. *Ibid.* Sent. 319.
190. Qui dat aliquid et imputat, contumeliam magis quam beneficium dedit. *Ibid.* Sent. 329.
191. Perdit et tollit beneficium, quisquis bene merito parem referre gratiam negligit. Lib. 5. *Dic. memorab.*, cap. 3.
192. Est ita natura comparatum, ut antiquiora

beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. *ib.* 3. Ep. 4, ad Macrinum.

BENEFICIUM DEI.

SENTENTIE PATRUM.

1. Multo crebrior, multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quidquid superna largitas donat, accrescit, ut conferendorum munerum cause de iis, que sunt collata, pariantur. Lib. 2, de Vocat. genitum, cap. 3.
2. Plena semper et redundantia sunt divina beneficia, non exiguo constricta numero, sed uberi bonorum concervata congestu. Lib. 1, sup. *Luc.*, cap. 1, in illud: *Ne times, Zacharia.*
3. Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua? Lib. 9, *Conf.*, cap. 13.
4. Multa nobis orantibus tribuis, et quidquid boni antequam oremus, accipimus, a te accipimus. *Ibid.*, lib. 19, cap. 31.
5. Melius judicavit Deus de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. In *Enchirid.*, cap. 27.
6. Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, que sunt ipsius dona; et pro his que largitus est æterna premia sit donatus. *De Ecclesiast. dogmat.*, cap. 32.
7. Quid melius, quid omnipotentius eo, qui cum mali nihil faciat, bene etiam de malis facit? *De Continent.*, cap. 6.
8. Nemo est donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus. *De bono viduit.*, cap. 16.
9. Magnum beneficium est pax, sed Dei veri beneficium est. Lib. 3, de Civit. Dei, cap. 9.
10. Dona sua coronat Deus, non merita tua; si ergo Dei dona sunt, bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. *De gratia et lib. arbit.*, cap. 6.
11. Caveat homo ne sit ingratus beneficiis Dei, ejusque in se provocet iracundiam, cujus obediens et fideliter debet suscipere gratiam. *Sup. Psalm. LXXXVII.*
12. Vis ut Deus det se tibi? quid si quod vis habere, non vultipse ut habeas, ut se tibi det? impedimenta removet, ut intret ad te, et se tibi det. *Prosec.*
13. Peccatoribus blasphemantibus eum quotidie, dat Deus cœlum et terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, ubertatem.
14. Si talia peccatoribus dat, quid eum putas servare fidelibus suis? *Sup. Psalm. LXXXIV.*, vers. 4.
15. Quidquid promisit Deus, indignis promisit,

AIXTUS PHIL.

VALENTIUS
MAXIMUS.

PLINIUS II.